nus Pontificii & Lutherani negant, quod nos etiam: Cur non
igitur potius irenici in illam Augustini sententiam,
quae ex sententiis Prosperi citatur in Decr: de consecr.
d. 2. Coelestis panis, qui vere Christi suo modo vocatur
corpus Christi: cum revera sit Sacramentum corporis
Christi, vocaturque ipsa immolatio carnis, quae sacerdotis ma-
nibus fit. Christi passio, mors, crucifixio, non rei verita-
tem (h. e. neque tertia, neque bonis alia aliqua) sed signifi-
cante mysterio? Et in illam ejusdem ad Adimant. cap. 12. Non
dubitavit Dominus dicere: Hoc est corpus meum, cum da-
ret signum corporis sui? Et in illud Chrysostomi: in 1.
Cor. 10. hom. 24. Quid significat panis? Corpus Christi.
Sed non erit apud te opus pluribus, quem scio non pendere
velle a vulgo Theologorum, sed veritatem amare et con-
sensum piae antiquitatis magnifacere: Sit quaeso, firmamen-
tum stabilitatis, constantiaeque ejus, quam in amicitia
nostra quaero, fides: et in fide ὁμόνοια. D. Afferdum juve-
nem pium et eruditum, collegam tuum, tibi de meliore no-
ta commendo. Est enim et mihi et multis apud nos cha-
rus, et credo utiliter officium suum facere in schola
vestra. Vale Fabrici optime, et amicorum meorum an-
tiquissime. Dominus Jesus te cum uxore et familia servet.
Si me, ut olim, nunc amas, fac ut brevi respondeas. Hei-
delbergae XIV. Junij 1591.

Qui quondam tuus et plus quam tuus esse solebat,
Hic tibi, nunc tamen est: et velit tuus esse. Pareus.

Virtute ac eruditione praestantissimo
viro D. Henrico Fabricio Medicinae
Doctori: Scholae illustris Hornbachianae
Rectori dignissimo: Domino et amico
suo veteri. Zweibruc.

497 Veritatem dico, nunquam injuria afficit D. Ursinum, qui
cumque commentarios in Catechismum sub ejus nomine Gene-
vae edidit: aut enim ejus sententiam de justificatio-
ne hominis ignoravit, aut maligne adulteravit.
Testabuntur hoc omnes illi, quicunque D. Ursinum cum a-
liqua attentione audiverunt. Bene igitur & de Ecclesia
et de communi nostro praeceptore meritus es, quod aliis
commentariis eundem Catechismum illustrasti. Ro-
go te mi frater, ut ejusdem praeceptoris nostri
commentarios, vel quaestiones potius in organum A-

ristotelis pertexas, aut saltem, similes commentarios
in Topicam componas. Posteriora ista satis à veteribus
et recentibus nuper etiam à Zabarella explicata sunt.
Topice prorsus negligitur. Quanto id autem incom-
modo fiat, ~~antiquis et recentibus~~ docent quotidianae
moderniorum Theologorum disputationes. Fac igitur ut
hae preces aliquid apud te valeant. Mihi semper placu-
it illud — bene qui latuit, bene vixit: et tamen a-
amicorum consilio victus passus sum aliquem libellum
ex meis lucubrationibus contra Bellarminum excudi.
Misi unum exemplum D. Tossano alterum D. Junio,
constitueram etiam tibi unum mittere, sed non e-
rant plura ad manum. Forte vidisti librum. Liben-
ter cuperem tuum & aliorum doctorum in vestra schola
judicium audire. Nam si Ecclesiae possem prodesse, pate-
rer plura describi; sin minus, quiescerem: satis enim ma-
lorum librorum in mundo. Bellarminus valde gloriatur
de suis laboribus, quos in Papa defendendo sustinuit.
In ea materia nunc versor, et quantum possum, labore con-
tendo, ut Papam fictitiis coloribus nudatum, ex propriis vir-
tutibus depingam, et coram omnibus fideliter traducam,
in hoc opere ita tempero stylum, ut omnia alienis verbis
dicam: ita enim apud infirmos plus fidei merebor & immo-
destiae à nemine merito accusabor. Sed dubito quomodo Eccle-
siae commodo id fiat, ideò tuum consilium mihi rescribe neq.

Vale. 3. oct: aº 1591. Tuae dignitatis
amantissimus
Lubbertus.

Reverendo & clarissimo
Viro D. Davidi Pareo,
praesidi Collegii Sapientiae
Domino & amico colendo.